

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 11790

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

2193

ASCETIC.

2194

Biblioteca degli Aut. antichi volgarizzati. Venet. 1767. T. V. p. 132. 4. Ex hac tenus dictis adparet falli etiam Bibliothecam Gesnero — Fristanam adserentem, inter Codd. Mfs. Caesareos Operis nostri Partem tantummodo primam extare. Ultima ceterum, quod sciam, ejus Editio facta est Ratisbonae anno 1733.

DLXXVIII.

⁷⁶ Codex chartaceus lat. et ital. Sec. XVI. Folior. 74. f. inscriptus est: *Simonis de Cassia Eremitæ, Ordinis S. Augustini Epistolæ et Homiliae*. Additur in margine eadem manu, quae Codicem exaravit: *In codice, qui asseruatur in xenodochio D. Mariæ Novæ in ciuitate Florentina nullus est prescriptus titulus in fronte huius authoris: sed locus vacuus relictus est uolenti inscribere ut et hic fecimus. Videtur itaque exemplar nostrum ex Florentino illo de promtum, quod suadent praeterea perpetuae in ora Voluminis notae, conjecturaeque ad exemplar illud revocantes, quae frequenter simul animum Scriptoris a Communione Romana alienum loquuntur. Cum Epistolæ hæc, de quarum Autore jam Cod. præced. mentio fuit, nunquam, quod sciam, typis editæ sint, raroque in Bibliothecis manu scriptæ reperiantur, operaे pretium fuerit eas singillatim percensere.*

*Fol. itaque I. narrat Simon visionem quandam. Initium: *Vi di pontem super aquas precipites &c.* Finis: *omnimode placentia Deo.**

*Fol. II. Homilia de ludis et humanis festiuitatibus fugiendis. Initium: *Ambulabat Jesus in Galileam &c.* Finis: *similitudinem gestat.**

*Fol. II. p. 2. Homilia commendans abstinentiam. Initium: *Serpit occulta tabes &c.* Finis: *necessarius sit in sacramentis.**

*Fol. III. Epistola hortatoria ad Virum nobilem, ut a vitiis abstineat, virtutes sectetur, mortis meminerit. Initium: *Inter meas occupationes &c.* Finis: *intuis agendis sepe fungaris.**

*Fol. III. p. 2. Epistola ad Virum nobilem Romanum, qua coarguntur ejus fastus, suspicione nimiae de uxore, et consuetudo cum Judaeis. Initium: *Credebam crebrius vestram visitare personam &c.* Finis: *præstatis audaciam.**

*Fol. V. p. 2. Sermo italicus ad Fratres de virtutibus monasticis. Initium: *O uoj, che siete chiamatj angelj &c.* Finis: *doue sono traboccato.**

*Fol. VII. Epistola hortatoria ad perseverantiam in bono. Initium: *Si me non fallit opinio &c.* Finis: *Confortare in domino et cet.**

*Fol. VII. p. 2. Reprehenditur quidam, quod ab instituto coelibis vitae ad uxorem descreverit. Initium: *Argumentum tibi esse**

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 11790

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

2195

C O D I C E S

2196

eſſe debuit &c. Finis: clara uoce uitasti. Inter alia: Non credebam, ut ſpiritus uertiginis, quem in Florentina ciuitate futurum praeuideram, quod te singulariter perueriſſet.

Fol. VIII. p. 2. Fratri Johanni (fortaffe de Salerno. Vide Cod. præc.) frater Simon ſalutem. Deplorat mortem Angeli ejusdem Ordinis viri, mittitque varias ejus epiftolas, ut, ſubjungens, cum tibi uacuerit paulatim ſcribas bona litera, in carta baedina, aut pecorina uolumen bonum &c. Initium: Nisi quia origo luminis &c. Finis: ſempiternæ mandare memoriæ.

Fol. IX. p. 2. Seruo Dei fratri Francisco uilis et modicus frater Simon de Caffa &c. Initium: Recordatus ſum tui &c. Finis: parco mibi et tibi. Scripta Caffæ XIII. die mensis Julij. Continet monita ad vitam perfectam.

Fol. XII. Suo reuerendo in Christo patri et refugio singulari fratri Simoni de Caffa frater Johannes de Salerno &c. Vefte paternitati recolo alias &c. Finis: licet indignum, quia ingratus. Animum inter mali genii ſuggiſtiones fluctuantem explicat.

Fol. XII. p. 2. Amico inter inuisibiles turbines fluctuantи fratri Johanni de Salerno peccator, peccatorumque collega frater Simon ſalutem et respirare in vero. Tua in fluctibus &c. Finis: ad quod ſe uiam fecit, qui uiuit in ſecula ſeculorum Amen. Epiftola prolixa tradens modum pravis impulſibus resistendi.

Fol. XX. Jubetur quidam in Romana Curia dignitates aucupans ab ambitione et Simonia cavere. Initium: Adhuc dum recolo &c. Finis: Si uobifcum eſt abbas de caserra (caserta?) recommends me ſibi. Curiae non parcitur.

Fol. XX. p. 2. Homilia breuis de domandis pravis affectibus. Incipit: Si militia eſt uita hominis &c. Definit: pro uictoria coronandus.

Ibid. Epiftola, qua Sodarium quendam ad vitam anachoreticam adſpirantem in praefenti vivendi instituto confirmare contendit. Initium: Si voluntatem in nostris regulationibus &c. Finis: Vale et ora pro me et omnibus.

Fol. XXI. p. 2. Hortatur Monachos quosdam, ut, qui proprium arbitrium ſequi velint, in claſtro non retineant. Inter alia: Non conturbemini, ſi aliqui egrediuntur; quia non ſunt ex uobis, ſi eſſent ex uobis mansiſſent utique uobifcum. Et ſi non egrediuntur expellite, quo noueritis ſequi propriam uoluntatem. Initium: Gaudete ſi locus vester &c. Finis: Fr. S. VI. Decembris. Peruſi cum recommendatione.

Fol. XXII. Reuerendo in christo patri fratri Simoni Dominus Johannes monachus Vallis umbrosæ &c. Referente mibi uenerabili &c. Finis: omnium diligentium nomen Iesu. Vulnus animi Simoni aperit et medelam implorat.

Fol. eod. p. 2. Respondet Simon, laudes in ſe collatas elevat,

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 11790

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

2197

A S C E T I C I.

2198

vat, hortatur *Johannem*, ut in Coenobio persistat, monita salutaria prolixe impertit. Initium: *Eia frater, immo potius heu frater* &c. Finis: *Vilis et modicus Fr. Simon de Cassia heremita in die Johannis Baptiste.*

Fol. XXVIII. Epistola de virtutibus et profectu Religiosorum. Initium: *Frates charissimi animorum fluctuatio* &c. Finis: *Datum Romæ die VII. Octobris* &c.

Fol. XXIX. p. 2. Epistola ejusdem commatis incipit: *Altitudo donorum Dei* &c. Finit: *Scripta Romæ die octavo Augusti. &c.*

Fol. XXXII. p. 2. Deplorat necessitatem Romae persistendi, quo a Moderatoribus suis propter eloquentiam et alia sua dona missus fuisse videtur. Inter alia: *Vtinam non tantum mea esset per uagata notitia. Vtinam lingua mea nunquam me duxisset in publicum. Vtinam me uulgi gratia nunquam fuisse amplexa.* — *Sum Romæ omni deuotione sublata, corde saxeo sanctuaria uisitans, corpore melius solito, anima uero peius.* Incipit: *Expedans expectauī dominum* &c. Finit: *Datum in urbe per fratrem Simonem.*

Fol. XXXIII. Ad fratres de ratione Abstinentiae. Initium: *Si illa pauca Sanctorum dicta* &c. Finis: *Hec uilis et modicus fr. Simon de Cassia in uigilia Natiuitatis domini.*

Fol. XXXIV. Viro cuidam probo christianaæ vitae praecepta tradit. Initium: *Tua me pia et crebra infestatio* &c. Finis: *Pa-*

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

tientia tibi expediens semper tecum. Amen. Fr. Simon eremita de Cassia.

Fol. XXXVI. p. 2. Sodali Institutum D. Augustini amplexo gratulatur et opportuna monita suggerit. Initium: *Exultauit anima mea pro te* &c. Finis: *Datum Florentiæ Anno domini M. CCC. XLII. mensis Aprilis per frem Simonem de Cassia ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini fri Bartholomeo de Septimo de Pisæ eiusdem ordinis.*

Fol. XXXVIII. p. 2. *Uniuersis Florentinis cuiuscunque status, conditionis et gradus Fr. Simon salutem et respirare in Deo. Vinci a uero, contentari de iusto* &c. Finis: *Vilis et modicus fr. Simon de Cassia de ordine fratrum heremitarum sancti Augustini, cuius uerba, immo Dei per eum dicta procaciter contempstis.* Epistola haec gravissima, aut Philippica potius sacra, scripta videtur anno M. CCC. XLV. quo, ut ait Job. *Villanus L. XII. Hist. Flor. c. 49.* furon molte piove in Firenze e in questi paesi d' intorno, che dall' uscita del mese di Luglio fino a di sei di Novembre non finò di piovere, quasi del continuo. Et enumeratis maximis damnis et periculis concludit: *bebessi gran paura in Firenze di generale diluvio.* Arripit opportunitatem hanc *Simon*, civibusque Numinis timorem, et morum emendationem inculcat. Inter alia: *Vbi sunt Florentia Dei terreni, domini amici tui, quibus*

R r r

babebas

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 11790

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

2199

C O D I C E S

2200

babebas fiduciam? surgant et opitulentur uobis, et in tanta necefitate te protegant: Vbi Karoli (Reges Sic. I. et II.) tui, nomina solum reges Sicilię, quos tua Guelfina partialitate foedasti? Vbi Robertus superstes (Rex Neap. dictus Sapiens) quem omnium foederatione nutriti? Vbi Dux ejus genitus (Carolus Dux Calabriae Florent. Gubernator 1326 — 28) quem ob tuam defensionem stipendijs conduxisti? Vbi Lombardi nobiles, Dei ecclesieque rebelles (Ludovico Bavaro Imp. adhaerentes) quorum aliqui te in campo lethabiliter confixerunt, tuis ditari spolijs aspirantes, cum quibus te maculasti foederibus — et ut legati Longobardici (Azzonis Vicecomitis) tyrannidem posse effugere, sociasti uexilla uexillis, et milites tuos eorum militibus aggregasti (1341? Vide Villanum cit. L. XI. c. 137.) unde conflictum pertulit gens, que nomine ecclesie militabat &c. &c. Admonent haec Lectorem Hieronymi Savonarolae, cuius eloquentia Seculo sequente diu Florentiam in potestate habuit.

Fol. XLIV. p. 2. Epistola Thomę de Cursinī f. Corfinis iurisperito de Florentia, cuius Orationem ad Ludovicum Hungariae regem Villanus L. XII. c. 108. recitat, quique Simoni autor fuit conscribendi libros de Vita Christiana, tota quanta de moribus est. Inter alia ludit: Digestum uetus communiter inueterat in peccatis, nec nouum innouat ad

uirtutes. Infortiatum in uitiorum bello non statuit fortē. Initium: Cogis me dilectione &c. Finis: intelligendo pertingas. Amen.

Fol. XLVIII. p. 2. Epistola ad virtutem hortatoria. Incipit: Sit nomen domini benedictum &c. Finit: qui pro te passus est. XIII. Septembr. Tuus fr. Simon de Cassia.

Fol. LI. Dilecte mi Tb. fr. S. salutem &c. Epistola moralis praecipue de spernendis obtrectationibus. Videtur ad eundem Thomam de Corfinis data, et finit: ultima die Januarii. Vale dilecte semper in domino.

Fol. LII. Epistola ad hominem aulicum de cavendis vitae illecebris. Initium: In amaritudinibus pro te moratur &c. Finis: Literas uestras recepi die XXI. mensis ōctubris. Datum XXII. eiusdem. Modicus frater Simon de Cassia.

Fol. LIII. p. 2. De tolerandis pro coelo adversis et usu donorum dei. Initium: Patet, quod in agone mentis &c. Ad calcem: Recepit cum letitia tuas literas die Jouis in sero apud sanctum Quiricum (S. Chirico in agro Senensi) ubi scripta nocte sequenti. Tuus frater Simon de Cassia.

Fol. LIV. Anico charissimo N. Fr. Simon eremita salutem. Utinam irretrouersibilis mentis intuitu &c. Hortatur, ut mentis caecitatem a Deo propter peccata immissam aequo animo ferat. Finis: Scripta Romę prima die quadragesime.

Fol.

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 11790

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

2201

A S C E T I C I .

2202

Fol. LVII. p. 2. Epistola ad Fratres Ordinis sui plena proficuis ad vitam asceticam monitis incipit: *Filioli mei, quos sepe parturio &c.* Finit: *Scripta Cassie VIII. die Decembris per fratrem Simonem eiusdem terre de ordine sancti Augustini.*

Fol. LX. Ad Sodalem sui Ordinis ejusdem pii argumenti cum querelis de remissione disciplinae inter quosdam Suorum. Initium: *Absens corpore, spiritu semper presens &c.* Sub finem: *In uigilia sancti Andree. Scripta Cassie.*

Fol. LXIII. p. 2. Ejusdem argumenti ad Sodales, maxime de adcurata Votorum observatione. Incipit: *Inter meas uarias occupationes &c.* Finit: *pro quo fundite preces Christo. Scripta dominica prima Aduentus.*

Fol. LXVII. Scribit se vitae taedio adfici et ad quietem adspirare. *Sed Ordo, qui nescio quallem in me famam et commoda queque decaptat, meq; salutifere quieti non assentit.* Videtur itaque Epistola Roma data. Altera ejus parte thesin hanc: *Visitatio se pulchri ac totius ultramarini partis uoluntaria, seu uoto peracta, obligationi, obedientiæ, paupertati et continentiæ non prefertur: multis evincit.* Inter alia: *Antequam ecclesia exemptionis priuilegia concessisset, monachi sub episcopis in manibus abbatis regulam promittebant. Et licet summus pontifex uestrum posset mutare habitum et uiuendi modum, non tamen posset mutare uotum, nisi uos uelletis*

arbitrio uoto constringi. Vnde si sumimus pontifex a uoto canonice facto et sub canonica regula non absoluimus, et a uoto ultramarino plerumque absoluimus, patet: quia uotum regule et trinitatis (votorum) uirtuose buiusmodi uouentem absoluimus. Initium Epistolae: *Vestre charitatis et humilitatis &c.* Finis: *Scripta festinanter die Lune infra octauam Epiphanie post matutinum qui nuntius festinabat. Vester fr. Simon de Cassia.*

Fol. LXIX. p. 2. Epistola de proximi dilectione, implendis mandatis Dei et votis religiosis, normaque agendi cum Matre, fratribus et sororibus. Initium: *Charissimo sibi in Jesu Christo fratri B.* (fortasse Bartholomaeo, ad quem supra) *uialis et modicus fr. Simon de Cassia salutem in omnium salutari.* Ad calcem: *Scripta Perusij die XXV. mensis Maij.*

Fol. LXXII. *Ancillis Christi. A. et N. fr. Simon salutem, et Christi uestigia desiderijs ardentijs sequi. Altitudo uiarum Dei &c.* Vitam Christi in exemplum proponit. Finis: *et pro tenenda uirtute ad omnem mortem.*

Fol. LXXXIII. Epistola ultima Euangelicis et religiosis uiris fratribus P. priori et B. de sancta Maria de Podio sancti se pulchri incipit: *Verecundia quidem tali suffundor &c.* Veniam petit Simon, quod iis insalutatis abscesserit, et modestissimo de se sensu eorum apud Deum implorat suffragia. Finis: *orationibus sociorum vestrorum. Scripta Perusii*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 11790

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

2203

C O D I C E S

2204

Perusii feria quarta Resurrectionis.

DLXXIX.

⁴³⁶ Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 275. 4. per duas columnas non una manu exaratus, rubricisque distinctus inscribitur *De Caritate Statuum*, abitque in *Partes IV.* videlicet fol. 1. *de Caritate Prelatorum ad subditos*, fol. 117. *de Caritate Subditorum erga prelatos*, fol. 147. *de Caritate Sacerdotis ad plebem*, et fol. 251. *de Caritate Plebis erga sacerdotes*. Coagmentatum Opus e PP. Sententiis, perspersumque piis Historiolis, quarum non semper vadem agere velis. Forma dialogica est, interrogante *Animo*, et *Ratione* respondentie. Initium: *Quoniam, ut ait beatus Gregorius, caritas minus quam inter duos haberi non potest &c.* Finis vastae tractationis: *Infinuat quod per eorum doctrinam iejuna corda cottidie sunt pascenda. Hec glossa.* Autoris, qui e Praedicatorum vel Minorum familia fuisse videtur, nomen detegere non potui. De Patria illius fortasse ex eo conjicias, quod fol. 271. p. 2. scribit. *Quedam nobilis domina et deuota in austria uidit ex ore predictantis exire flamam ignis quasi de fornace.*

DLXXX.

⁴⁵⁶ Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 446. f. currente calamo scriptus per duas colum-

nas, et olim conuentus wienensis fratrum ordinis predicatorum In Austria. donatus eidem per Venetabilem patrem. fratrem Petrum de Kirchschlag ante suam professionem quam fecit in die Penthec. Anno domini 1457. ut habetur ad calcem fol. 2. et fol. penult. continet Farraginem Opusculorum, quae enumeranda sunt, postquam observavero, Donatorem nostrum ipsummet successu temporis evasisse Scriptorem; extat enim ejus Collectura ex diversis Doctoribus super Passionem Domini, impressa s. l. 1487. 4. Id, quod Echardus in Scriptt. O. P. scire avebat, quem etiam latuit Petrum Conventus Vienensis. alumnus fuisse, oppidumque ejus natale in Austria non Kyrzslacken, ut deformatum ab aliis nomen acceperat, sed Kirchschlag scribendum esse. Vide T. I. p. 858.

I. *Traelatus*, ut ex calce transcribo, bonus qui et Cordiale dicatur tractans de qua uor. nouissimis scilicet de morte temporali, de iudicio extremo, de penis inferni et de gaudio regni celestis Egregij et eximij doctoris. Magistri Heinrici de Hassia sacreque Theologie professoris. In alma Vniuersitate Wienensis editus. Incipit: *Memorare nouissima tua &c.* Sicut dicit Beatus Augustinus in libro suarum meditationum &c. et finit: *ac nouissima prouiderent.* Typis editum Opusculum sub Artis initia s. l. et a. 4. In Cod. uno Mellicensi de Autore dubitatur, in Claustroneoburg. tribuitur